

24. Licet Christus jam perfectus sit Salvator antequam peccatum in nobis destruat & nos perfecte sanctificet; Ejustamen sanguis in justificatione formaliter & in renovatione meritorie nos à peccatis mundat. Joh. XIX. 1. Hebr. VII. 28. 1. Joh. I. 7. *

2. Quæ de virtute Creata & finita pertinet ad sanguinem ex Christo emanante, hodiernum à nonnullis finguntur, ac in fundum animæ credentis penetret, eundemq; penitus immutet, Scripturæ S. destituuntur Autoritate. *

DISP. VIII.

De Creatione & Providentia.

i. Hactenus disputavimus de DEO uno & trino; sequitur de Creatione, in qua prima facta est Dei manifestatio ad extra.

2. *Create* in hoc articulo est ex nihilo aliquid fabricare & producere, solius verbi jussione & imperio, diversum à substantia Creantis.

3. In qua significatione vocabulum illud Ecclesiæ est proprium.

4. *Create* est à non esse ad esse producere. *Formare* est enti creato formam seu figuram inducere. *Facere* vero absolvere, seu ad certum usum aptare.

5. Creatio est actio unius & solius Dei. Es. XL. 6, 7. Jerem. X. 11. ac indivisum trium personarum divinitatis opus: Quo Pater una cum Filio æterno, & Spiritu S. coæterno, Gen. I. 20. Hebr. I. 2. Joh. I. 3. Psalm. 33. 6. condidit intra sex dierum spatium omnia visibilia & invisibilia Col. I. 16. 17. Psalm. 146. 6. (ὁ θεὸς ὁντων) 2. Macc. VII. 28. Rom. IV. 7. Et omnia, quæcunq; fecerat, erant valde bona, Gen. I. 31.

6. Quare rejicimus & improbamus (1.) Philosophos & Poëtas, quando in Opere Creationis Deo adjungunt naturæ *συνέργειαν* (2.) Stoicos, introducentes duo principia æterna, *ὄντι καὶ ὑλῆν* (3.) Manichæos, qui fingebant duos Creatores Contrarios, unum boni, alterum mali (4.) Arianorum blasphemias: Patrem ut verum Deum opus Creationis indignum reputasse sua excellentia, ideoq; Filio illud commisisse, ut Minori. (5.) Valentini & Basilidis dogma: Nimirum duas Personas Trinitatis ex communi materia genitas esse.

7. Cum dicuntur omnia facta ex nihilo, non significatur materia ex qua, sed notatur terminus à quo: quia cum res non essent, DEO dicente esse cœperunt,

8. Neq;